

Magnaq; foecundo numeri de semine nata
Commoda, quo vertas lumina cunq; vides.
Nam teneras acuunt numerorum examina mentes,
Ingenium nulla certius arte patet.
Nec sine subsidio numeri communia disces
Tempora, quæ numero digerit ipse DEUS,
Tempora coelestes describunt ordine motus,
Vnde dies, horæ, mensis & annus eunt.
Res privata facit, simul & Respublica damnum,
Quæ sua distincta non ratione gerit.
Indicis horarum puncto si pulsus aberret,
Advena, quàm turpe est crimen id Urbis, ait.
Cui ratio sumtus cum quæstu nulla putatur,
Quæstus ei parvo tempore nullus erit.
Servat enim salvos proportio cauta Penates,
Ne malè profuso corruat ære domus.
Luxus opes vastat patrias, populatur honores
Omnibus, ad numerum nî sua coepta vocent.
Discrimen numeri commercia cuncta requirunt,
Mensuræ modus huic, pondus & omne subest.
Vita quoq; historiis dudum intercepta fuisset,
Optima quæ vitæ tot documenta ferunt,
Gesta etiam verè perscripta, obscura jacerent,
Temporis atq; loci deficiente nota.
Nulla nepos sciret magnorum facta parentum,
Non vetus exemplis erigeretur honos.
Annorum seriem; menses nunc mitto diesq;
Subtrahe, nox totum densa volumen erit.

Sed